


36

01

A


6631













4

DISSERTATIO  
DE  
QVADAM HAEMOPTYSEOS  
SPECIE



QVAM  
PRAESIDE  
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.  
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOCVNT. ER-  
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.  
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS  
MEDICI H. T. DECANO

D. DECEMBRIS CIOIDCCCLXXXVIII.  
DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM

RITE CAPESSVRVS

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

FRIDERICVS PHILIPPVS BRAVN,  
BEROLINAS.



---

TRAIECTI AD VIADRYM,  
E TYPOGRAPHEO APITZIANO

DISERTATIO

DE

QUADAM HAEMOPTYSEOS

SPECIE

\*\*\*\*\*

QUAM

EXAMINAVIT

PETRO IMMANUEL HARTMANN

DE UNIVERSITATE HALLENSI

DOCTORIS MEDICI DICITAM

IN

PHYSICA

ARTI

FREDERICVS PHILIPPVS BRAUN

PHYSICVS

IN

PHYSICA





V I R O  
PERILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO  
EXPERIENTISSIMO, AMPLISSIMO  
DOCTISSIMOQVE  
D O M I N O  
D. CHRIST. LVDOV.  
R O L O F F  
AVGVSTISSIMI AC POTENTISSIMI  
REGIS BORVSSIAE A CONSILII INTIMIS  
REGINAE VIDVAE ARCHIATRO  
SVPREMI COLLEGII MEDICI DECANO  
REGIAE ACAD. SCIENTIAR. MEMBRO  
MEDICO ORDIN. ORPHANOTROPHEI  
FRIDERICIANI et cec.

V I R O  
P R O F E S S O R I S S I M O  
E X P E R I E N T I S S I M O A M P L I S S I M O  
D O C T I S S I M O Q U E  
D O M I N O  
D. CHRIST. LAVOY.  
R O T T E M  
A M P L I S S I M O A C T I V I S S I M O  
R E G I S B O R S S I A E A C O N S I L I S I N T I M I S  
R E G I A E A M P L I S S I M O  
S A M P S O N I C O L L E G I I M E D I C I D E C A N O  
R E G I A E A C A D E M I A E S C I E N T I A R U M M E M B R O  
M E D I C O O R D I N I O R P H A N O T O P O R I  
F R I D E R I C I N I R E C T O R I



V I R O  
ILLVSTRI EXPERIENTISSIMO  
DOCTISSIMOQVE  
DOMINO  
D. MARCO HERTZ  
PROFESSORI PHILOSOPHIAE REGIO  
PRINCIPIS WALDECCENSIS ARCHIATRO ET  
CONSILIARIO  
MEDICO NOSOCOMII IVDAICI BEROLL-  
NENSIS ORDINARIO





*T*riquetrum VESTRUM, VIRI EXCELLENTIS-  
SIMI, debeo et ea, quae nunc praestiti, et illa, quae  
olim in arte medica praestiturus sum. TIBI enim,  
CONSILIARIE INTIME! qui primus scientiae  
huius omnia ambientis amorem mihi indidisti: nec  
minus TIBI, PROFESSOR ERUDITISSIME!  
qui primus amori huic constantiam addidisti, ani-  
mumque meum confirmasti. Iure itaque meo cum

Philippi filio mihi licet dicere: patri vitam, VOBIS  
vero, quod beate viuo, acceptum me referre. Qua-  
re pauca haec, tanquam ingenii mei primitias be-  
nigne accipiatis, meque docere mihi que fauere per-  
seueretis, rogo. Cui immortali beneficio vt in po-  
sterum remunerando par sit, omni conatu allabo-  
rabit

Auctor,





## PRAEFATIO.

**P**udentem artificem inter et imprudentem empiricum hoc maxime interest quod ille in causa ex praesentibus morbi cuiusdam signis eruenda versatur, hic vero hanc curam negligit. Perraro autem fit, ut vel peritissimus medicus causam hanc casu tantum in morbi initio inueniat. Vulgarioribus illis crebriusque occurrentibus, verbi causa, symptomatibus gastricis, hydropibus, similibusque exceptis, saepe a minima quadam re in morbi historia ab aegroto praetermissa, omnis peruersa medici curatio pendet. Vtri hoc vitio erit vertendum, medico, an aegroto? Neutri id imputandum censeo, sed scientiae soli adhuc imperfectae, imprimis Semioticae. Per se enim res quaeuis minima, licet sit maxime occulta, propria sua signa, quibus se exserat, quibusque cognoscatur, habeat, necesse est. Quo autem modo morbi causam vn-

B

quam



quam cognoscemus, nisi signis, quae causarum sequelae sunt, satis superque distinguendis pares simus? Omni igitur conatu in id nos incumbere oportet, ea ut probe inspiciamus, tum vero certi ad eorum causas definiendas recta conclusione progrediamur. Quod vero aliquanto difficilius erit, quam fortasse primo obtutu cuiuspiam videatur. Signa enim adeo sibi sunt implicata, ut ea explicare, non unius ingenii sit: sed ad ea enodanda omnes medici unanimi conatu allaborent et connitantur. Illa ex causa medici esse mihi videtur, non in eo solum vires suas exercere, ut quam plurimorum mœdendi methodum perdiscat, sed ut artem ipsam nobiliter magisque perficiat. Verum enim vero haec rarius eueniunt. Paucissimi enim ad tantum eruditionis gradum adsurgunt, ut moliri illud, nedum efficere possint. Ad hanc enim rem instituendam non solum indefessum studium sed ingenium quoque litteris imbutum requiritur. Neque enim est quod vulgaria systemata subuertenda huiusmodi medicus sibi sumat. Licet enim eidem alio quodam modo hic prodesse, qui non ingenium illud philosophia excultum nactus est, sed cui sola sana mens sufficit. Quo labore etsi minor comparetur gloria, tamen minori quoque constabit periculo. Hic nempe labor in eo versatur, ut singulae morborum historiae cum suis signis accuratius examinentur et inter se conferantur, nouique casus obueientes in lucem edantur; tum vero in his solis adquiescit, et maiori cuidam ingenio relinquit, quod haec omnia collata atque collecta conuenienti et ad  
ipsum



ipsum scientiae medicae incrementum accommodato loco reponat ordinetque, et communes in usus conuertat. Hoc modo materias ad scientiam nostram amplificandam, extruendam confirmandamque conferre, via me iudice tutissima est, qua ipsa ad summam, quae fieri potest, euehitur certitudinem. Namque ex infinita illa singulorum casuum copia probabiliore illae magisque communes *causae*, simplicitate sua scientiae incrementum adiuturæ eruuntur. Haec igitur sola causâ me permouit, cur praesentem morbi historiam casum pertractandam, me felicem putaturus, si fini, quem intendo, quodammodo respondisse videbor.

## §. I.

*Haemoptoes definitio.*

**H**aemoptoe est effectus ille, in quo tussiendo, mox maior, mox minor sanguinis copia ex pulmonibus proicitur: quem celeberrimus *van SWIETEN* a *CESIO* falso ab *ARETAEO* contra recte definitum ait; cum ille cuilibet sanguinis per os reiectui idem indiderit nomen. In praxi autem medica quam plurimum interest scire, vtrum ille, qui apparet sanguis, ex ipsis pulmonibus, an ex partibus ad eos pertinentibus, an per vomitum protrusus sit. Licet enim symptomata inter se simillima videantur, eorum tamen prognosis iisdemque medendi methodus maxime discrepat; neque signa prognostica adeo sunt manifesta, vt vel summe attendentes falli nequeamus. Haec ipse illustris testatur *van SWIETEN* in *Comentar. Aphorism. BOERHAVII* scribens: ad Aphor. „Cum autem longe alia prognosis sit, si sanguis ex oris interni partibus prodeat, vel ex naso in fauces delapsus exspuatur, quam si ex pulmone venerit; immo etiam alia requiratur medela: hinc debet cum cura distinguere medicus a quo loco veniat sanguis, qui exspuitur; et certe magna hic attentione opus est.“ Praeque symptomata haud dubia determinatu sunt sanguis spumans cum tussi admodum continua, saepe pulmonum doloribus iuncta. Cum tamen vltimum

hoc



hoc signum saepenumero deficiat, priora illa ad morbi notionem summe sunt necessaria.

§. II.

*Veterum diuifio.*

Veteres tres haemoptoes species ex causa proxima desumptas statuebant. *Primam*, si vasa a vi quadam illata rumpuntur, vocauerunt  $\xi\eta\zeta\omega$ : in qua periculum maxima ex parte a maiori minoriue cuiusdam pulmonalis vasis laesione pender, atque cui adstringentia et temperantia subitum adferre solent auxilium; quod si ab his derelinquantur, reliquum nihil est, quod speres. *Alteram* vero, vbi ab ipsa humorum per vasa circumductorum acrimonia fit vasorum erosio, appellauerunt  $\delta\iota\acute{\alpha}\beta\rho\omega\sigma\omega$ . Corruptis enim humoribus solida quoque breui temporis spatio, sua resistendi vi amissa, corrumpentur, soluentur, rupturaeque apta reddentur. Quod pulmonibus, teneriori illi organo, praecipue noxium euadit. Horum enim substantia tenerior laxiorque si proprio robore et elasticitate priuetur, facile apparet, quam promte humorum aut aëris adpulsu laedatur; testante aucta praecordiorum angustia, huius status pediffesqua, mox, nisi subita humorum correctio suppetias ferat, in phthisin pulmonalem transitura. *Tertiam* denique haemoptyseos speciem dixerunt  $\delta\iota\alpha\pi\eta\delta\eta\sigma\omega$ : si integris manentibus vasis, adeoque nec ruptis nec erosis, per vltima orificia eorum dilatata sanguis exiret. Sed alio loco celeberrimus *van SWIETEN* hanc speciem



speciem minus timendam existimat: quandoquidem horum vasorum fines, pulmonibus debitam firmitatem iterum adeptis, facile ad iustam magnitudinem, qua mucus ipsorum excerni potest, contractum iri videntur. Ita fore, vt secunda valetudo restauretur.

§. III.

*Rarior quaedam haemoptoes species.*

Sed animaduertendum, praeter has tres species modo adductas quartam adhuc inueniri: cuius *van swieten* iam meminit; eandem autem casibus illis rarioribus adnumerat, et singulari exemplo confirmat: Rusticum quendam dicens per aliquod tempus haemoptoe affectum, ab euacuantibus ipsi exhibitis membranofum quoddam corpus, in lamellas diuidendum, per tussim reiecisse, subitamque inde recuperasse valetudinem. Idem porro refert, per tussim parum vehementem longa vasorum frustra, atque adeo partes arteriae asperae similiaque esse eiecta. Cum interim ductu clarissimi Professoris *HERZII*, praeceptoris mei, ad quem debite ornandum laudum encomia me deficiunt, oblata mihi fit occasio, similem illis, quos supra allegaui, casibus obseruandi, eundem hic adnectere, viresque meas experiri placuit, vtrum ex praesentibus signis veram eiusdem causam inuenire et determinare valeam, nec ne?

§ IV.

*Historia morbi.*

En historiam ipsam! Matrona quaedam *I. M.* femina aetatis prouectae, quantum habitus externus pro-



prodebat, robusti corporis, aliquoties iam spūto  
 cruento, quod tamen adhibita potione refrigerante  
 cessauerat, affecta, retinuit multos per annos aliquam  
 praecordiorum anxietatem cum spiritu interdum bul-  
 liente et tussi coniunctam; quae sola aegram male  
 habebant, ceteris functionibus rite succedentibus.  
 Ex aliquot iam hebdomadibus illi expectorantia erant  
 propinata, mucī aliqua ex parte soluendi, et expecto-  
 rationis promouendae causa. Die Augusti tertio et  
 vigesimo de pectoris angustia praecipue conquereba-  
 tur, pulsusque solito erat et plenior et celerior; quam  
 ob causam venae sectio ei est ordinata, sed in diem  
 sequentem dilata. Die eiusdem mensis quarto et vi-  
 gesimo densi inflammatorii sanguinis decem vnciae  
 per venae sectionem sunt emissae: quo facto paulo  
 post ingentem copiam sanguinis, nimirum intra quin-  
 que minorum spatium vnciae decem densi clareque  
 rubentis, sanguinis, per tussim eiecit aegra, qua du-  
 rante dextri pulmonum lateris, ex quo etiam sangui-  
 nis quasi ascensus aperte percipiebatur, dolorem se  
 sentire adfirmabat. Solutio Lichenis Islandici cum  
 nitro aegrae est data: et haemorrhagia sub meridiem  
 redeunte, vena in pede secta sanguinis denuo vnciae  
 decem sunt emissae, haud melioris craseos, ac prio-  
 res. Die Augusti quinto et vigesimo haemorrhagia  
 redibat cum pulsu satis pleno, sed non duro: venae  
 sectio est repetita, simulque potioni praedictae omni  
 quadrihorio puluis ex cort. cascarillae et gumm. Ara-  
 bici ana scrupulo, et opii puri semigrano mixtus in-  
 terponebatur. Sed cum haemorrhagia aegram non  
 minus



minus vehementer ac antea noctu inuaderet, pul-  
 ueres dicti singulis binis horis sunt dati. Die sexto  
 et vigesimo status morbi idem permanebat. Cum  
 aegra aliquot horas noctis somno transegisset, a tussi  
 excitabatur; qua tertiam partem mensurae nostrae,  
*Quart* dictae, sanguinis spissi eiecit. Tum octo ad-  
 huc vnciae sanguinis, specie nunc sanioris, ex vena  
 secta sunt emissae, insuper vesicatorio ceruici impo-  
 sito. Die vigesimo septimo idem erat morbi status,  
 potusque aegrae ordinarius ex spiritu vitrioli, Syru-  
 poque rubi idaei, et sufficienti aqua est commenda-  
 tus. Auctore alio quodam medico, in consilium  
 adhibito vesicatorium suris imponebatur. Die vige-  
 simo octauo, ter minimum haemorrhagiam passa  
 aegra ad tertiam partem mensurae dictae sanguinis de-  
 nuo reiecit. Pulueres dictos sumere recusauit; licet in-  
 terim status morbi perstaret. Cum vigesimo nono  
 omnia symptomata eadem sibi que similia permaner-  
 ent, loco aliorum medicamentorum porrigebatur  
 nitri depurati semuncia aquae menthae vncis octo et  
 syrupi papaueris albi vncia soluta, et quidem in  
 quamlibet semihoram, quantum cochlear capit.  
 Sumto primo cochleari tussis vehementissima succes-  
 sit cum sanguinis non minori eiectione: innatabant  
 frustra quaedam sanguini solida membranacea, ad  
 tactum visumque substantiam pulmonum reddere vi-  
 sa, quae inflari poterant, aquae innatabant et ad ta-  
 ctum digiti stridentem edebant strepitum, qualem  
 substantia pulmonum edere assolet: omnibus paulo  
 post mitigatis aegra somnum aliquot per horas noctis  
 capie-



capiebat, ad trigesimi vsque diei meridiem omni haemoptoe libera. Tunc temporis vero vehementior rediit dimidiamque praegressorum partem, quinque videlicet uncias sanguinis excussit. Data est aegrotae rad. Salap drachma, in aquae flor. tiliae uncias decem soluta, adiectis laudani liquidi *Syd.* duobus scrupulis et syrupi de althaea uncia, et quidem omni hora cochlearia duo. Hanc noctem quiete exegit, neque ullius haemorrhagiae vestigium ad pridie calendae Septembris circa vesperam apparuit. Aegra omni hora cochlear vnum dictae potionis sumsit: pulsus inter haec naturalis, sedes consuetae, liberaque respiratio. Die trigesimo primo Augusti, cum nulla rediisset haemoptoe et pulsus valde esset comminutus, aegra decoctum corticis peruuiani sumsit cum Lichene: a quo aliquoties sumto tussis satis acris rediit, sputumque cruentari coepit. Cum praecceptor meus, acutissimus vir, animaduerneret, aegram omnino nihil, quod irritaret, ferre posse, quin corticem peruuianum ipsum cum lichene Islandico motus in eadem ciere, decoctum iussit seponi, ad usum radicis Salap. rediens. Omnibus paulo post mitigatis aegra praedictum medicamentum per octiduum sumere perseveravit: quo interim tempore tussis et reiectus cruentus cessarunt, viribus aegrae plane restauratis.

§. V.

*Explicatio pathologica.*

In toto huius morbi decursu frustra illa, die vigesimo nono cum sanguine eiecta, maxime admira-

C

ratio-



rationem merentur et attentionem; cumque iis sub-  
latis ex toto morbus cessaret, primam eadem causae  
partem constituere sunt visa, atque ipsa rite explicata  
totius morbi indolem recte explicabunt. In his ergo  
ad rationes suas reuocandis omnem nauaturus sum  
operam. Praeter exiguas quasdam mutationes prae-  
sens casus simillimus est illi, quem venerandus *van*  
*SWIETEN* allegat, et de quo sequentia commemorauit:  
*Monstrauit, inquit, autem mihi, scilicet rusticus*  
*corpus membranaceum, satis crassum, quod tussiendo*  
*excreuerat cum summo leuamine; potui diuidere hoc*  
*concretum in lamellas tenuissimas, quas optimis mi-*  
*croscopiis lustrans inueni vbique homogeneas: nihil fi-*  
*brofi, nihil organici vlllo modo detegere potui.* Id  
ipsum cum nostris frustulis, continuae cuidam mem-  
branae sane simillimis, prorsus conueniebat. Atta-  
men, cum horum frustulorum vnum spiritui vini im-  
missum, in fundo vitri plane corrosum et albo cui-  
dam praecipitato simile appareret, luculento hoc est  
indicio, frustulum illud non aliquam pulmonum sub-  
stantiam fuisse. Adde et hoc argumentum; si abrupta  
fuissent frustula laeforum vasorum, longe copiosior,  
ac hic euenit, haemorrhagia et non inhibenda sequi  
necessario debuisset, atque aegra insuper dolores vix  
ferendos percepisset; cum tot arteriarum ruptio sine  
sensu doloris fieri nequeat, quem aegra certe prodi-  
disset. Ex argumentis iam adductis, quorum plura  
adhuc commemorari possent, satis apparet: nihil  
esse, quod demonstret, adpectuique non contradi-  
cat,



cat, illas nimirum lamellas fuisse quandam pulmonum substantiam.

§. VI.

*Idem argumentum.*

Illa vero quaestio, quaenam hae lamellae proprie sint, non minus est difficilis, ac intricata. Polypi quos quidam frustra illa ante dicta esse putarunt, profecto non sunt. Illi enim sunt densi, longitudinales, albique coloris: hae contra lamellae, laxae, cellulosae, ex coeruleo rubrae, maculis nigris distinctae. Substantia vero earundem eadem esse poterat, quae polyporum: nempe coagulum quoddam cuiuslibet partis sanguineae. Cum vero polypi nomen ex forma sua trahant, incongruum foret partibus ex eadem materia conflatis, aliter vero formatis, idem indere nomen. Subtiliori quidem sanguinis inquisitione chemica haud opus est ad materiam supra dictam in eo detegendam. Partes praecipuae quibus sanguis vena emissus constat, sunt cruor, et serum cum habitu quodam aquoso; in frigore auolante; neque praeter aquam in modum vaporis solutam et nonnihil solidam quidquam relinquit. Verum enim vero et serum, et cruor, cum secreti sint humores, gelatinosam aliquam massam, quae tenax est et cuius formae accipiendae apta, continent. In cruore GAVBIVS fibram sanguinis dictam descripsit, quae in eodem, magna copia aquae tepidae superfuso tumque filtrato, apparet: rubrum illud tingens simul lin-



reum transfit, in eoque quoddam filiforme remanet, quod ipse eam in sanguine partem, quae caseus est in lacte, esse putat. Similis materia ex fero obtinetur, si acidum quoddam, praesertim vitriolicum, liquori feri claro adstillatur. Quaevis guttula densum, album, graueque praecipitatum reddit. At si liquidum hoc acido superfatures, praecipitatum ex toto soluitur, et liquidum colorem pellucidum et fuscum induit, haud aliter ac plerumque in oleo vitrioli, inflammabili parte impraegnato, apparet. Cum ergo hac parte sanguis carere nequeat, sanguis vero mutationi obnoxius sit, et eandem partem vitiosam esse posse, manifeste intelligitur. Cuius vitii duplex videtur ratio: cum si glutinosum hoc in sanguine abundet; tum si idem in mixtione sua heterogenei quidquam comprehendat. In utroque casu sanguis quam primum hac massa se exonerare annititur, eandem in tenuiores vasorum exhalationi dedicatarum fines pellere laborabit. Recentiora quaedam experimenta testantur, non omnes minimarum arteriarum fines contiguas continuisque quibusdam venis adnecti, sed quosdam solos ex instituto tenue quoddam liquidum, aut mucum quandam certis partibus inferuentem transmittere: e quorum numero sunt vasa omnia se et excretoria, in quae materia illa intrat, ibique deposita vel ab aliis vasis resorbetur et proeuhitur, vel in iisdem permanet, magis magisque accumulata. Pulmonibus praecipue posterius euenit; cum minimi arteriarum fines non nisi lubricanti cuidam halitui, qui poros minores ab inflammatione tuer,



rur, fecernendo inferuiant. Haec igitur materia  
 spiffior fi in iis deponatur, ibidem haerebit perfiffit-  
 que: quod vafa, quae eandem reuehant, nulla sunt;  
 adeoque fenfim fine fenfu poros magis inplebit et  
 obftruet, quo minori curae fuerit, hanc materiam  
 glutinofam qualifcunq; praecordiorum anguffiae  
 caufam, ex fanguine expellere. Qui fanguis inflam-  
 matorius, lente tantum et difficulter per vafa motus,  
 cordis viribus vehementer refiffit, quoque haec re-  
 fiffentia diuturnior eft, eo cordis adiuuitas magis de-  
 bilitatur, fanguisque non ita celeriter neque tam fa-  
 cile per pulmones pellitur: vnde tum anxietas fucce-  
 dit. Quae fymptomata refpirando augentur, cum  
 anima, alioquin in vafa tantum aperta tranfiens, colle-  
 cto in ipsis pulmonibus fanguine magis anguffata  
 ingredi, eaque non, vt confueuit, dilatare poffit.  
 Quo autem minus cor vno nifu omni fanguine fe ex-  
 onerare poteft, eo tum faepius folet fe contrahere:  
 inde pulfus plenior celerque neceffario fequitur.  
 Contra ea imminuta fanguinis copia cordis vigorem  
 magna ex parte inftaurabit excitabitque, et quo ma-  
 gis vires folitas cor recuperat, eo magis in fanguinem  
 contentum aget, eumque homogeneum reddet. Id  
 quod hac ipfa in hiftoria experientia aperte euincit.  
 Nam fanguinem fiffum, mucofum, per primam  
 venae fectionem imminutum, haemorrhagia ftatim  
 excipiebat. Cor, quod hic fanguinem in pulmones  
 non fatis refiffentes pellebat, vasis eorum minimis  
 lacerationem non poterat non inducere: idque eo  
 magis, quod fpacium fanguini pulmonibus deftinato  
 non



non suppetebat, cum aliquam eius partem quaedam spissioris lymphae pars obstruxisset. Neque etiam sanguinis reiectus venae sectionis beneficio imminui est visus: neque potuit, donec sanguinis copia et spatium, et totam vim cordis ad aequaret. Cuius aequilibrum causa fortasse fuerit sanguinis iam emendati aequaliterque mixti in vasa minora obstructa impetus; aut alia quadam ex causa massula illa stagnans alicubi vel in vasis, vel in vesiculis aereis, mobilis denuo facta atque propulsa. Hinc ergo humoribus nunc correctis, atque omnibus in statum pristinum redactis, non potuit aegra, quin conualesceret. Huius massae cum pulmonum substantia similitudo non adeo difficulter explicatur. Simul ac enim glutinosa haec materies in cellulas aereas transferat, aër atmosphaericus itidem inspirando huc delatus, agitando in mollem illam massam irrepit, neque protinus iterum exinde evolui potuit. His modis natae sunt hac ex massa bullulae istae cellulosae, totam hanc compagem in aqua eleuantes atque sustinentes: color vero debebatur sanguini, ex ruptis pulmonum vasculis huic massae saepe circumfuso.

§. VII.

*Dicendorum finis.*

Hoc itaque modo haec morbi historia simpliciter et ad summam verisimilitudinem accommodate explicanda mihi videtur. Quid? quod ex hac ipsa causae huius determinatione optima medendi methodus



thodos facile eruitur; ea videlicet ipsa quae hoc in exemplo magna ex parte est instituta, diluentia et frequentes corporis exercitationes, efficacissima mihi videntur medicamenta: siquidem illa lymphae tenacitati resistent; ab his vero partes solidae maiorem in contenta sua agendi, atque ita aequaliter ea commiscendi vim nanciscuntur. Quam noxia methodum haemoptyli aduersam, usu nempe adstringentium hoc in casu adhibito, symptomata excipiant, non est, quod pluribus demonstrarem: cum scire sufficiat, lympham hanc stagnantem primam puris causam constituere; quae itaque, si ex pulmonibus non tollitur, sed, ut alia quaelibet critica excretio coeretur illic haerebit ulcerumque in teneriori pulmonum tela erit origo.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





01 A 6631

ULB Halle 3  
002 934 922



56









4

DISSERTATIO  
DE  
QVADAM HAEMOPTYSEOS  
SPECIE



QVAM  
PRAESIDE  
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.  
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-  
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.  
SCRVTATOR. ET DVICAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS  
MEDICI H. T. DECANO

D. DECEMBRIS CIDI CCCLXXXVIII.

DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM

RITE CAPESSVRVS

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

FRIDERICVS PHILIPPVS BRAVN,

BEROLINAS.



---

TRAIECTI AD VIADRVN,  
E TYPOGRAPHEO APITZIANO,